Quaestiones Terentianae selectae.

I. De prologi Heautontimorumenu genuina forma.
II. Ex prologis quid de ordine fabularum appareat.

Dissertatio inauguralis philologica,

quam consensu et auctoritate

amplissimi Philosophorum ordinis

Universitatis Litterariae Fridericianae Halensis
cum Vitebergensi consociatae
ad summos in philosophia honores
rite impetrandos
scripsit

Ernestus Herrmanowski
Borussus.

Halis Saxonum,
MDCCCLXXXXII.

I. De prologi Heautontimorumenu genuina forma.

Prologus Heautontimorumenu sic incipit:

(ed. Fleckeisen.) Nequoi sit uostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium:
Id primum dicam, deinde quod ueni eloquar.

His tribus versibus, quem ordinem esset secuturus, poeta planissime ostendit. Neque tamen ordo ille in prologo servatus est: nam primum de fabula edocemur, deinde, cur Ambivius prologi partes susceperit, exponitur. Perturbatus ordo facile corrigitur, dummodo versus prologi ita disponantur, ut ordini v. 3 proposito respondeant. Sed viri docti plerique medela illa non minus simplici quam necessaria spreta multimodis quem libri exhibent ordinem tueri conati sunt. De illorum variis sententiis disserere supersedeo[1]), maxime quia pro certo habeo

[1]) De eis dilucide disseruit C. Dziatzko (De prologis Plaut. et Terent. quaestiones selectae 1863 diss. inaug.). Cf. etiam Guil. Wagner (Fleck. ann. 1865, p. 279 sqq.). Bentlei sententiam a Dziatzkone refutatam tamen O. Amdohr (Prol. Hec. Terent. gramm. crit. hist. ratione pertract. diss. inaug. p. 12) rursus amplexatus est. Novo modo Umpfenbach vulgatum ordinem defendere studuit; sic enim disputavit (Anal. Terent. p. 14): „Modo illud teneatur, ex grata quadam neglegentia sermonis quotidiani comicos in prologis sibi indulsisse, ut, postquam pronuntiassent quo ordine sententiarum oratio processura esset, celeri motu animi abrepti filum sententiarum interrumperent et ordine illo turbato breviter intericerent quod animum movisset.“ Miror quam

poetam in ordine v. 3 proposito permansisse. Ac primus quem vss. 1—3 poscunt ordinem Dziatzko in editione sua Terenti (1884) dedit[2]); post v. 3 enim vss. 11—15 posuit, versum 10 autem, quippe quem novo ordini impedimento esse censeret, ex prologo eiecit. At v. 10 apud Nonium (p. 278, 32) invenitur; iure igitur dubitatur an hoc testimonio validius versus muniatur, quam ut prorsus tollatur. Qua de causa Ritschelius nimiae audaciae esse illum versum eicere ratus, quod Dziatzkoni placebat, improbaverat. Minime vero, quod Ritschelius monuit, equidem neglegendum esse, neque tamen de recto ordine desperandum esse censeo. Quid? si, quod audacissimum videtur, ne necessarium quidem est? si tantum abest, ut versus ille restitutioni recti ordinis obsit, ut etiam plurimum ad confirmandam illam restitutionem valeat? Et vero, si quid video, res ita se habet, ad quod demonstrandum argumenta proferam ex reliquis prologis, quos qua ratione Terentius struxerit, non sine utilitate hoc loco explicare mihi videor. —

Atque ordiamur ab Andriae prologo. Versibus 1—7 maledictis malivoli veteris poetae respondere se cogi Terentius queritur; de Andria ipsa versu 9 demum loqui incipit. Inter v. 7 et v. 9 est hic versus:

Nunc, quam rem uitio dent, quaeso animum attendite.

Prologi Eunuchi versibus 1—19 poeta multa de se et de adversario verba facit, nullum de ipsa fabula Eunucho. De

---

non discreverit vir doctissimus severam et gravem et magna diligentia dispositam ac scriptam orationem a subitis et fortuitis facetiis. Ac nescio an ne in his quidem dissolutus ordo possit excusari.

[2]) Hunc ordinem restituendum esse iam in dissertatione sua inaugurali vir doctissimus viderat, sed tum Ritschelium secutus erat. Nuper (Fleck. annal. 1890, p. 290 sq.), postquam, quod Kriege (Fleck. ann. 1890, p. 78) voluerat, refutavit, in ordine, quem in editione dedisset, se ita perseverare affirmavit, ut lacunam ante v. 4 non iam esse statuendam censeret.

hac quid dicere habeat, versibus 20—45 ostendit. Transitus autem a priore ad posteriorem partem fit versu 19

quam nunc acturi sumus

In Phormionis prologo pars prior, qua rursus de maledictis adversarii edocemur, cum posteriore, quae ad ipsam Phormionem spectat, conexa est versu 24

Nunc quid uelim animum attendite.

Item in Hecyrae prologo II poeta post undeviginti versus, quibus de dubia fortuna scenica, Caecilio, meritis Ambivi mentio facta est, de ipsa Hecyra loqui incipit annectente usus versu 20

Nunc quid petam, mea causa aequo animo attendite.

In prologo I Hecyrae et in Adelphon prologo poeta statim in mediam rem se proripit; deest igitur versus transitum efficiens. —

Ex his, quae contulimus, perspicuum est Terentium in struendis prologis eam sibi proposuisse legem, ut, priusquam spectatores de ipsa fabula edoceret, quasi prooemians de aliis rebus loqueretur, quae, etsi non alienae erant a studio musico ac re scenica, at non pertinebant ad ipsam fabulam, quam grex acturus erat. Hanc partem generalem, ut ita dicam, cum parte speciali ut coniungeret, poeta in illis quattuor prologis paene eadem formula usus est, brevissima illa quidem in Eunuchi prologo, ubi uno verbo „nunc“ transitus efficitur, versus spatium fere explente in ceteris tribus prologis; in nullo deest particula „nunc“. Cum illis versibus

quam nunc acturi sumus (Eun.)
Nunc, quam rem uitio dent, quaeso animum attendite (And.)
Nunc quid uelim animum attendite (Phorm.)
Nunc quid petam, mea causa aequo animo attendite (Hec.)

versus 10 prologi Heaut.

Nunc quam ob rem has partis didicerim paucis dabo

si confertur, forma hunc illis simillimum esse nemo non videt: sententiam autem eius esse eandem quam quattuor illorum iam ostendam. Versibus 1—3 expositum erat hoc: Primum dicam,

cur ego senex partes prologi susceperim, deinde, quod elocuturus veni, eloquar. V. 10 vulgo sic accipiebatur, ut Ambivius causam se prolaturum esse iterum indicaret, cur ipsi partes prologi datae essent. Ego vero versum ad id spectare arbitror, quod Ambivius v. 3 deinde se elocuturum esse pollicitus est; sic igitur eum interpretor: Nunc quam ob rem e l o q u e n d a m has partes didicerim paucis dabo, ita ut verba „quam ob rem" non eadem vi ac particula „cur" accipienda sint, sed per se quodque sit exprimendum. Iam vero ipsa tria illa verba „quam ob rem" docent, qui fieri potuerit, ut ordo prologi versibus 1—3 tam lucide propositus turbaretur. Promiscue enim usuparta existimantem verba „quam ob rem" et „cur" iam antiquis temporibus nescio quem ante versum 11 posuisse illum versum verisimillimum est, quam sedem, quippe quae facile aptissima videretur, versus usque ad nostram aetatem retinuit.

Quoniam versum 10 non modo non obstare, sed etiam firmare Dziatzkonis sententiam ostendisse mihi videor, nulla iam dubitatio est, quin rectus ac genuinus sit ordo a Dziatzkone sic restitutus:

Nequoi sit uostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium:
Id primum dicam, deinde quod ueni eloquar.
Oratorem esse uoluit me, non prologum:
Vostrum iudicium fecit: me actorem dedit,
Sic hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.

Haec prooemiatus prologus ad specialem partem, qua de ipsa fabula dicitur, transiens pergit:

Nunc quam ob rem has partis didicerim paucis dabo.

Post hunc versum transitum efficientem pars specialis, quam vocavi, ut in ceteris prologis initium capit a nomine fabulae. Sequuntur enim hi versus:

(4) (Fleckeisen) Ex integra Graeca integram comoediam

(5) Hodie sum acturus Heauton timorumenon,
(6) Duplex quae ex argumento facta est simplici.

Versus 6 in libro Bembino a prima manu sic scriptus erat:

Duplex quae ex argumento facta est duplici.

„duplici“ postea in „simplici“ mutatum est, quod ceteri quoque libri habent. Iam si addes emendationes virorum doctorum in editionibus aut alibi prolatas, versum 6, quoquo modo variari potest, variatum invenies. Variae versus formae sunt hae:

Duplex quae ex argumento facta est duplici (prior manus in Bembino).
Duplex . . . . simplici (plerique libri: corr. in Bembino).
Simplex . . . . duplici (Bentleius).
Simplex . . . . simplici (Lessing VII, pag. 365, Lachm.).

Ex quibus versus formis quamquam maxime altera „Duplex . . . simplici“ librorum auctoritate commendatur, tamen, ut toti loco lux afferatur, de omnibus quattuor disceptandum esse arbitror.

Ac primum de forma Lessingiana dicam. Lessing versum sic interpretatur: „So einfach, will Terenz sagen, als das Stück des Menander ist, ebenso einfach ist auch mein Stück; ich habe durchaus nichts aus anderen Stücken eingeschaltet: es ist, so lang es ist, aus dem griechischen Stücke genommen, und das griechische Stück ist ganz in meinem Lateinischen.“ Huic interpretationi maxime v. 4 „Ex integra Graeca integram comoediam“ obstat, qui hoc sibi vult: „Ex Graeca, cuius nihil deest, fabulam Latinam, cui nihil additum est, acturus sum.“ [3])

[3]) Eodem modo Dziatzko (Diss. inaug.) vocem „integra“ interpretatur, ei notionem „cuius nihil deest“ i. e. „vollständig“ adiudicans. Neque vero viro doctissimo assentior totius versus sententiam hanc statuenti: „ex graeca fabula, cuius nemo quidquam praeripuit, latinam, cui non oportuit quidquam addi.“ Ita enim voci „integra“ alia notio inditur, quae, quamquam apud Terentium non insolita, tamen versu 4 potius omittenda quam commiscenda est. In toto enim prologo Heaut. nullus versus, nullum verbum est, ex quo concludi possit adversarios Terentio crimini dedisse, quod fabula Graeca, quae iam ab aliis poetis

Versu 4 igitur idem iam plane expositum est, quod versu 6 a Lessingio variato exponitur. Lessingius autem, qui ipse duos illos versus idem sibi velle minime negavit, non ostendit, qua de causa Terentius eandem rem duobus versibus, quorum alteruter sufficiebat, explicare voluisset.

Quod de forma Lessingiana dictum est, idem fere de forma „Duplex . . . duplici“ dici potest; nam quae fabula duplex ex duplici argumento facta est, eadem integra ex integra Graeca facta est. Accedit quod, quae sit vera et propria significatio verborum „duplex fabula ex duplici argumento facta“, parum intellegitur. Quae verba recte intellegi quum magni intersit ad nostram hanc quaestionem, quid de eorum vi sentiam, iam ostendam.

Sane bene intellegimus verba „fabulam ex argumento facere“, quae sic sunt exprimenda „Aus einem dramatischen Stoff ein Stück machen“. Argumentum igitur alia est ac fabula res eaque latior. Sed hoc valet in eos dumtaxat poetas, qui suo ingenio freti aliorum fabulis non adhibitis materiem tractaverunt, quam eis vita ususque praebebat. At Terentio, qui nisi ex Graecis exemplaribus comoedias non fecit, argumentum et fabula eadem nempe res erat. Qua de causa, si de fabulis Terentianis agitur, verba „fabulam ex argumento facere“ sic accipienda sunt: „Aus dem Sujet einer schon vorhandenen (griechischen) Komödie ein Stück machen“ i. e. ex Graeca fabula Latinam facere. Hinc efficitur, ut „fabula duplex ex duplici argumento facta“ idem sit quod „fabula

---

Latinis tacta esset, usus esset. Nec minus ei errare mihi videntur, qui voce „integra“ poetam esse usum volunt, qua novam esse fabulam affirmaret. Neque enim ex prologo perspici potest adversarios Terentio crimini tribuisse, quod veterem pro nova daret; neque Terentius, si re vera de hoc crimine ei respondendum fuisset, tam breviter tamque tecte tam grave crimen redarguere potuit. An vero censes Terentium, quum prologum Heautont. scriberet, neglegentiorem fuisse, quum idem in Eunuchi et Adelphon prologis plane ostenderit, et quo modo illa suspicio oriri potuerit et quam falsa atque iniusta sit? Denique „integra“ comoedia est „incontaminata“ comoedia. Cf. Cicero Top. 18. 19.

Latina duplex ex duplici fabula Graeca facta". Duplex autem est, quod ex duabus partibus et inter se et toti rei similibus, quae in unum coaluerunt, constat. Duplex igitur fabula est fabula ex duabus contaminata. Quae quum ita sint, forma „Duplex . . . duplici" improbanda est. Etiamsi enim de duplici Latina fabula nulla est dubitatio, at certe Graeca fabula contaminata prorsus ignota est. Ac multo minus forma Bentleiana „Simplex . . . duplici" probari potest.

Reliqua iam est ceteris improbatis forma „Duplex quae ex argumento facta est simplici", quae non minus auctoritate librorum quam simplici et plana enuntiati sententia commendatur. Versus enim sic intellegendus est: Duplex (scil. alterius cuiusdam fabulae argumento admixto) quae ex simplici Graeca fabula facta est i. e. quae contaminata est. Hic quaerat quispiam. Quid? Nonne ex v. 4 plane intellegitur fabulam contaminatam non esse? Sane ita est; verum tamen ex hac discrepantia non efficitur, ut, quae supra disserui, sint improbanda, sed hoc tantum, ut alteruter ex illis versibus a prologo Heaut. sit alienus. Uter autem sit removendus ut diiudicetur, quaerere necesse est, utrum contaminata an integra ex integra Graeca facta sit Heautontimorumenos Terentiana. De hac re controversia adhuc nulla fere erat; maior enim versui 4 fides tribuebatur, praesertim quum inter viros doctos de versus 6 forma sententiaque non conveniret. Atque Ihne versum 6 removendum esse censuit eumque secuti sunt Fleckeisen, Dziatzko, Wagner. Sed si recte de versu 6 supra disserui, nihil est, cur non eandem ille quam v. 4 habeat fidem auctoritatemque. Neutrius igitur versus ratione habita alia de fabula argumenta sunt indaganda. Apparent autem, ni fallor, argumenta, quae quidem non versum 4, sed versum 6 tueantur.

Ac primum testimonio versuum 16—21 prologi utar, quibus poeta, quae sibi de contaminatione stet sententia, demonstrat. Fac enim prologum duobus illis versibus (4 et 6) carere nec nisi ex versibus 16—21 utrum fabula contaminata sit necne

colligi posse, nonne omnes Heautontimorumenon Terentianam fabulam contaminatam esse colligerent? Cui enim in mentem veniat Terentium contaminatas fabulas tam acriter in incontaminatae fabulae prologo defendisse?

Sed quid in prologo haeremus, quum ipsam fabulam habeamus? Haec si re vera contaminata est, mirum ni fieri potest, ut, si non singulae partes contaminatae subtiliter seiungantur ac determinentur, at tamen vestigia contaminationis colligantur. Indicia autem contaminationis inveniri, maxime in actu secundo, infra p. 22 sqq. ostendam. —

Eis, quae de vitiis fabulae disserui, probabiliter demonstravisse mihi videor Heautontimorumenon Terentianam ex duarum fabularum Graecarum argumentis mixtam esse. Prologi igitur versus sextus, qui ad contaminatam spectat, retinendus, quartus, qui ad incontaminatam pertinet, removendus est.[4])

Tam graviter autem in v. 4 testimonio omnium librorum confirmatum consulere dubitarem, si in nullo alio prologo iusta eius sedes indagari posset. Ad quam inveniendam quaeramus necesse est, quae alia fabula talis sit, ut ad eam versum illum

Ex integra Graeca integram comoediam

pertinere facile credamus. In hanc quaestionem ex Terentianis fabulis, quum Andria Eunuchus Adelphoe testimonio prologorum contaminatae sint, Phormio et Hecyra earumque prologi vocantur. Atque in utroque prologo locus, qui idoneus esse videatur ad illum versum recipiendum, invenitur; in Phormionis prologo inter v. 24 et 25

(24) adporto nouam
(25) Epidicazomenon quam uocant comoediam

---

[4]) C. Venediger, qui de Heaut. sic iudicat: (Fleck. annal. 1874 p. 135) „zur hälfte aus Menandros entnommen, zur andern hälfte von Terentius selbst gedichtet", tamen versum quartum mire sic defendere conatus est: „er nahm den stoff zu seinem stück unverändert aus Menandros, sein eignes stück konnte er dann ebenfalls mit gutem recht integram comoediam nennen, während wir allerdings auch hier eine contaminierte arbeit erkannt haben."

in Hecyrae prologo II inter v. 20 et 21

(20) Nunc quid petam, mea causa aequo animo attendite.
(21) Hecyram ad uos refero q. s.

Sed tamen neutrum locum iustam illius versus sedem esse arbitror; nam accuratius huius versus vim perpendenti ad nullam prorsus Terentianam fabulam spectare versus mihi videtur. Illo enim versu id ipsum explanari mihi videtur, quod adversarii Terenti poetas Romanos exemplaria Graeca vertentes decere autumabant. Neque vero modo a contaminatione illi abhorrebant, sed etiam eam legem proponebant, ut, quod quisque exemplar verteret, minime mutaret vertendo. Hoc illos facile credas appellavisse „ex integra Graeca integram comoediam facere“, quod idem Terentius (Eun. prol. v. 7 sq.) vocavit „bene uortendo et easdem scribendo male ex Graecis bonis Latinas facere non bonas“. Licet igitur Terentius, quum Phormionem et Hecyram scriberet, contaminatione abstinuerit, tamen duas illas fabulas non tam „obscura diligentia“ vertit, ut integrae ex integris Graecis fierent. Qua de causa ille versus, nisi ad fabulam aliquam adversariorum spectans, in nullo Terentiano prologo tolerari potest. Uno autem in Eunuchi prologo comoediae a vetere poeta Terenti inimicissimo factae nominantur: Phasma et Thensaurus. In Thensauro quid perperam fecerit Luscius, quattuor versibus Terentius exponit, sed de Phasmate hic unus versus est:

Idem[5]) Menandri Phasma nunc nuper dedit

qui, ut verbis Bentlei utar, arena sine calce est. Etsi enim ex contextu totius loci intellegitur fabulam minus placuisse, certa tamen causa offensionis desideratur. Post hunc prologi Eunuchi versum inserendum esse censeo versum quartum prologi Heautontimorumenu

Ex integra Graeca integram comoediam.

---

5) Bentleius pro „idem“ posuit „item ac“, quod quam alienum ab hoc loco esset, G. Hermannus (Opusc. II p. 275 sq.) ostendit. Dziatzko in editionem suam „nunc“ particula uncis inclusa pro „dedit“ recepit „perdidit“, quod Bothe coniecerat.

Ita enim hic versus talem fabulam nanciscitur, ad qualem spectare eum facile credas, et id, quod Terentius adversario de Phasmate vitio dat, plenius ac planius fit; iam enim est perspicuum Phasma fabulam „bene“ versam propter nimium Graecum colorem Romanos offendisse.

Ac dubito an ille versus „Ex integra Graeca integram comoediam“ a Luscio in Terentium ita profectus sit, ut, quae in prologo Phasmatis cum magna laudatione fabulae novae Luscius praedicaverat, eadem Terentius cum aculeo quodam in prologo Eunuchi repetiverit, quae brevis cavillatio, multis verbis acerbior, a populo non intellegi non potuit, quum Phasma brevi ante („nunc nuper“) in scenam data esset.

Restat ut ostendam, quam facile versus ille in Heaut. prologum irrepere potuerit. Sexto enim versui „Duplex quae ex argumento facta est simplici“, quo breviter ac significanter fabula contaminata definitur, versus ille, quo fabula incontaminata notatur, oppositus est, qui versus in margine adscriptus postea in textum receptus est; neque id mirum est, praeclare enim accusativus „integram comoediam“ cum accusativo „Heautontimorumenon“ cohaerere videbatur.

Sed redeamus a prologo Eunuchi ad prologum Heautontimorumenu. Cuius pars specialis, quam vocavi, quarto versu remoto sic incipit:

Hodie sum acturus Heautontimorumenon,
Duplex quae ex argumento facta est simplici.

Quodsi Terentius, quae sibi de contaminatione staret sententia, in hoc prologo exponere in animo habebat, nullo loco aptius id dicere potuit quam post duos illos versus. Et vero de hac re versibus 16—21 loquitur; sed hunc locum a versibus illis duobus seiungunt tres versus hi:

Nouam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit
Et quoia Graeca sit, ni partem maxumam
Existumarem scire uostrum, id dicerem.

Ex ipso, quod tres hi versus duos locos inter se artissime

cohaerentes separant, satis perspici potest versus a loco, quem obtinent, esse alienos. Sed aliis etiam gravioribus de causis versus in suspicionem vocantur. Primum enim in eo offendimus, quod nequaquam poeta ostendit fabulam novam esse.[6]) Neque minus, quae sequuntur, mira sunt.

Quid tandem? Nomen poetae, quamquam titulus modo pronuntiatus erat, iterum diceretur, nisi poeta partem maximam spectatorum id scire existimaret? Quae verba, nisi vero inania atque inepta sunt, quin ob certam quandam causam et certo quodam consilio dicta sint, non est dubium. De hac causa consilioque nullo prologi Heaut. versu edocemur. Quam ob rem Dziatzko tres illos versus ex prologo Heaut. removit, remotos in Hecyrae prologum I inter v. 7 et 8 inseruit; ibi enim quam ob causam et quo consilio dicti essent elucere vir doctissimus affirmavit. Ratiocinatio eius est haec: ‚Ante alteram Hecyrae actionem titulus fabulae non est pronuntiatus; qua de causa in prologo de poeta Latino et de poeta Graeco dicendum erat, id quod obiter poeta tribus illis versibus fecit, quum necesse esse negaret illa nomina pronuntiari, quia iam nota essent.‘ Unde vero nomina nota fuerint, quaerenti Dziatzko respondet: Ex priore Hecyrae actione. Hanc ratiocinationem, nisi pronuntiationem tituli ante prologum defuisse ostenderetur, parum probabilem esse quum ipse intellegeret, vir doctissimus illud sic probare studuit: „quod cur ita institutum sit, facile divinare possumus: nam cum Hecyra antea exacta esset, noluerunt ludorum curatores aut dominus gregis Romanos illam agi prius resciscere, quam apta rerum expositione spectatorum studium fabulae parari eorumque gratia impetrari posset.“

Contra Dziatzkonis sententiam haec quae dicam habeo. Primum constat fabulam non exactam esse, sed propter subitam turbam peragi non potuisse.[7]) Cf. prol. II v. 25 sqq.

---

[6]) Cf. Dziatzko diss. inaug. De prol. Pl. et Ter.

[7]) Eodem modo O. Amdohr iudicat l. c. p. 11.

Quom primum eam agere coepi, pugilum gloria,
Comitum conuentus, strepitus, clamor mulierum
Fecere ut ante tempus exirem foras.

Interest autem, utrum actores a populo fabulam improbante exacti locum suum tutari non potuerint an, quia populus aliis rebus illectus fabula non cognita theatro eruperat, ante tempus foras exierint. Ut illud plerumque non sine culpa poetae fiebat, ita hoc vel optimo poetae vel optimam fabulam danti accidere poterat. Hecyra autem quum non exacta, sed calamitate oppressa esset, Terentius eiusque amici suo iure sperare poterant fore ut fabula, quum iterum ageretur, cognosceretur, cognita probaretur. Quamvis igitur adversarii Terenti famam macula quadam aspersam esse dictitaverint, nihil profecto erat, quod curatores ludorum timerent, ne populus ab Hecyra nondum cognita adeo abhorreret, ut ne titulum quidem ferret. Ut vero timuerint, idque iusta causa, cur tandem tam invidiosam fabulam agendam curarent?

Maxime vero Dziatzko in eo errare mihi videtur, quod Hecyrae prologum I talem esse censet, quo spectatorum studium fabulae parari eorumque gratia impetrari potuerit. Totus enim prologus blandis verbis vacuus huic sententiae obstat. At exciderunt versus quidam! Sane sic censent Fleckeisen, Dziatzko, Wagner, alii viri docti Ihnium secuti. Sed etiamsi lacuna post v. 7 statuenda esset, tamen habitus prologi non multum mutaretur. Accedit quod Ihni sententia nullo ni fallor satis probabili argumento defenditur. Brevitas enim prologi a consuetudine poetae aliena non neglegentiae librariorum, sed consilio ipsius poetae deberi mihi videtur. Similiter iudicat Umpfenbach (Anal. Terent.), qui, quid sibi prologus velit, sic explicat: „Audire mihi videor hominem indigna contumelia usque ad morositatem exacerbatum et animum vulgi contemptorem aegre celantem.“ Ab hac sententia paulum discedo (de prologo I Hecyrae quid sentiam, infra p. 39 videbis), sed hoc assentior, voluisse Terentium brevem prologum scribere, id quod vel inde cognoscitur, quod generali parte praeter consuetudinem omissa statim in

mediam rem se proripuit.[8]) Ac quae de fabula ipsa dicere habebat, tam breviter, tam frigide, tam acerbe dixit, quasi verba facere apud populum, maxime blanda, fastidiret. Ita si prologus accipitur, nihil est, cur rapide ac paene abrupte prologum ad finem toti orationi convenienter in paucissima verba coartatum properare miremur.

Sed haec hactenus. Videamus nunc, id quod caput est, num vero versibus tribus illis in Hecyrae prologum insertis caligo, qua erant offusi, prorsus sit discussa. Quod infitiandum est. Cur enim Terentius verbis „maxumam partem uostrum" usus sit, ne ex Hecyrae prologo quidem cognosci potest. Et ipse Dziatzko illa verba mira et obscura esse fatetur. Quamdiu autem illa verba tenebricosa manent, quaestio de sede iusta trium illorum versuum instituta non esse perducta ad finem videtur. Illud quidem non dubium est, quin non temere quosdam ex spectatoribus Terentius exemerit; eam igitur solam iustam sedem illorum versuum esse iudicare licet, qua, qui fuerint illi pauci, quos poeta eximi voluit, edocemur. Quam sedem invenisse mihi videor. In Adelphon enim prologo inter v. 14 et v. 15 oratio hiat. Postquam enim versibus 1—14 de furti crimine se defendit, cuius defensionis extremi versus sunt hi:

(12) Eam nos acturi sumus nouam: pernoscite
Furtumne factum existumetis an locum
Reprensum, qui praeteritus neglegentiast.

Terentium videmus pergere sic:

Nam quod isti dicunt maliuoli, homines nobilis
Eum adiutare adsidueque una scribere:
Quod illi maledictum uemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam e. q. s.

Hos duos locos inter se dissimiles ac diversas particula „nam" non posse conecti luce clarius est. Duae sunt viae emendandi: aut „nam" in „tum" mutandum est, qua particula Terentius a repulso crimine ad alterum propulsandum transiens

[8]) Pars specialis, ut in ceteris prologis, a nomine fabulae initium capit, ex qua re minime insolita cave ne nimium concludas.

v. 22 prol. Heaut. usus est, aut lacuna significanda est. Illud vix probari potest, praesertim quum parum intellegatur, quo modo ex „tum", quod nihil habet dubitationis, mirum illud „nam" oriri potuerit; hoc eo probabilius videtur, quo planius ostendi potest, quibus versibus lacuna explenda sit. Est autem explenda tribus illis versibus prol. Heaut.

Nouam esse ostendi et quae esset: nunc qui scripserit
Et quoia Graeca sit, ni partem maxumam
Existumarem scire uostrum, id dicerem.

Enimvero Terentius fabulam novam esse et quae esset versibus 1—14 ostendit eisdemque qua causa illud ostendere cogeretur aperuit. Ac cur spectatores, quae de fabula eiusque auctore scitu opus erant, scire poeta existimaverit elucet; de titulo enim modo pronuntiato eos monet (Cf. quae p. 38 exponuntur.) Quos vero ex spectatoribus eximi voluerit, ita ut verbis „partem maxumam uostrum" usus sit, manifesto demonstrant prol. Ad. vss. 15 sqq.

Nam quod isti dicunt maliuoli, homines nobilis
Eum adiutare adsidueque una scribere:
Quod illi maledictum uemens esse existumant,
Eam laudem hic ducit maxumam e. q. s.

Omnia igitur iam plana sunt: et versus tres illi ex Heaut. prologo remoti omni ex parte intelleguntur et lacuna, quae est inter v. 14 et 15 prol. Ad., aptissime expletur. Accedit quod restitutis in Ad. prologum illis versibus poetae turpem suspicionem levamus. Nulla enim eam causa est, cur Suetonio assentiamur scribenti Terentium ipsum famam de adiutantibus hominibus nobilibus dilatam auxisse, quum numquam nisi leviter se tutaretur, ut in prologo Adelphon. Hoc sane potuit enucleare — nullis enim certis testimoniis nixus est[9]) — Suetonius,

[9]) Jam Joannes Vahlenius vidit (Annal. acad. Berol. 1876 p. 797 sq.), quae Suetonius eiusque auctores de adiutantibus amicis tradiderunt, ex duobus prologorum locis (Adelph. prol. v. 15 sqq et Heautont. prol. v. 22 sqq.) ficta esse; nec tamen Aug. Engelbrechtio (cf. huius Studia Terentiana p. 7) persuasit.

quippe qui solis versibus 15—21 prol. Ad. Terentium se defendisse putaret. Multo vero acrius poetam se tutatum esse patet, si versus illi tres ante v. 15 prol. Ad. leguntur; his ipsis enim maxime illam suspicionem refellit, quum diceret sibi persuasum esse omnes praeter paucos malivolos homines, quis fabulam scripsisset, certo scire. Similiter se defendit versibus prol. Heaut. 25 sq.

Arbitrium uostrum, uostra existumatio Valebit.

Ita vero bis ad populum provocantem poetam leviter se tutatum esse quo iure affirmari possit, non video. Tantum igitur abest, ut poeta ipse consulto suspicionem illam auxerit, ut non minus strenue suae famae atque existimationi consuluerit quam eleganter laudes et gratias amicis nobilibus egerit.

Restat ut ostendere coner, qua via tres illi versus falsum in locum irrepserint. Et in prologo Heaut. et in Adelph. prologo Terentius nobilium amicorum mentionem fecit. Locus similis ex prologo Adelph. versibus 22—25 prol. Heaut. adscriptus est, ille quidem non totus, sed solum eius initium i. e. tres illi versus. Qui quid sibi vellent, quum postea perperam intellegeretur — et vero rectam versuum sententiam, nisi totus legatur locus, vix cognosci posse fatendum est — versus prologi Heaut. esse putabantur; qua de causa eo inserti sunt, ubi si non apte cum vicinis versibus cohaerere, at certe tolerari posse videbantur.

Sed redeamus ad prologum Heautontimorumenu. Versibus 7—9 remotis versum 6

Duplex quae ex argumento facta est simplici

quo fabula contaminata significatur, aptissime sequuntur versus hi:

Nam quod rumores distulerunt maliuoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas: factum id esse hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere quod illi fecerunt putat.

Deinde versibus 22 — 27 crimen de hominibus nobilibus adiutantibus ab adversariis dilatum Terentius refellit: tum ver-

sibus 28—34 ipse adversarium carpsit, de quibus omnibus versibus non addubitatur. At extrema pars tota fere a prologo abiudicanda est, id quod cognoscitur ex ipso initio loci

(35) Adeste aequo animo: date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium.

Quid? statariamne esse Heautontimorumenon fabulam turbae, technarum, spei, irae, metus plenissimam? In qua alia enim Terentiana fabula pater petulantius a filio aut servo fallitur? Quanta iracundia Chremes ardet, postquam Bacchidem non Cliniae, sed sui filii esse amicam cognovit? Adde quod Bacchis meretrix procacissima cum grege ancillarum (cf. v. 254) et multis sarcinis domum Chremetis senis devertitur; quod Clitipho ad tantam procedit protervitatem, ut meretrici in aedibus vicini senis „operam det.“ Num haec omnia in stataria sive leni exspectas? Immo vero; si ulla Terentiana fabula est motoria, certe est Heautontimorumenos. — Vel evidentior res fit versu 37

Ne semper seruos currens, iratus senex

An vero quisquam tam immemor Chremetis et Syri est, ut iratum senem aut servum currentem in Heautontimorumeno fabula reperiri neget? Neque vero modo hos duos versus prologo movendos esse, sed versus 35—47, ex ipsis cognoscitur. Et facile iusta eorum sedes invenitur. Duo enim sunt indicio: primum, quod Ambivius ipse illos versus pronuntiavit, alterum, quod fabula, quam grex acturus est, stataria et lenis vocatur. Quid multa? Illi versus prologi II Hecyrae sunt, qui ab eodem sene Ambivio pronuntiatus est. Enimvero in hac fabula neque turbulenta scena neque servus currens neque pater iratus neque ulla de ceteris personis est, quae versibus 27—39 prologi Heauton. personae motoriae fabulae (cf. v. 40) significantur. Iure igitur Hecyra stataria et lenis fabula appellatur.

Neque dubium est, post quem versum prologi Hecyrae locus ille ex Heaut. prologo remotus inserendus sit. Aptissime enim sequitur versum 37 prologi Hecyrae. Versus 35—37 enim sunt hi:

Nunc turba non est: otium et silentium est:
Agendi tempus mihi datumst: uobis datur
Potestas condecorandi ludos scaenicos.

Pergit prologus:

Adeste aequo animo: date potestatem mihi
Statariam agere e. q. s.

Praeclare verba „date potestatem mihi" excipiunt priora illa „uobis datur Potestas."

Videamus nunc, quid versibus 38—49 prologi Hecyrae fiat. Ac primum de versu 47 dicam

Mea causa causam accipite et date silentium.

Qui in eo prologo non esse potest, in quo eadem res antea his versibus

Mea causa causam hanc iustam esse inducite

et

Adeste aequo animo: date potestatem mihi
Statariam agere ut liceat per silentium.

expedita est; qua de causa ex prologo Hecyrae removendus est. Eandem autem fortunam versus 48 et 49 cum illo cohaerentes ferre necesse est. At ita exitu orbatus prologus in versibus desinit non idoneis, quibus oratio prologi concludatur! Sane Terentius extremos versus prologorum ad certam quandam normam scripsit. Cf. Hec. prol. I v. 8

Alias cognostis eius: quaeso hanc noscite.

Adelph. prol. v. 24 sq.

facite aequanimitas
Poetae ad scribendum augeat industriam.

Phorm. prol. v. 30 sqq.

Date operam, adeste aequo animo per silentium
Ne e. q. s.

And. prol. v. 34 sqq.

Fauete, adeste aequo animo et rem cognoscite
Vt e. q. s.

Eun. prol. v. 44 sq.

Date operam, cum silentio animum attendite
Vt e. q. s.

Hac observatione, quae de removendis versibus 47—49 exposui, valde infirmarentur, nisi prologum iam ante v. 38 ad finem pervenisse ostendi posset. Et versus, qui locum ex prologo Heautont. in prologum Hecyrae transpositum finiunt:

In hac est pura oratio: experimini
In utramque partem ingenium quid possit meum.

eidem totum prologum aptissime terminant. Nam verba „experimini, In utramque partem ingenium quid possit meum“ paene idem sibi volunt quod verba „quaeso hanc noscite statariam“. Quae quum ita sint, totus locus, qui versibus 38—49 continetur, a prologo Hecyrae abiudicandus est. —

Videamus nunc, num quid in prologo Heaut. — de hoc uno haec quaestio exsistit, quia ceteri non ab Ambivio pronuntiati sunt — inveniatur, quod ne illi versus recipiantur impedimento est. Tantum autem abest, ut versus illi ibi male tolerentur, ut multo aptius in hunc prologum quam in Hecyrae prologum quadrent. Quod maxime intellegitur ex v. 38 sq.

Nolite sinere per uos artem musicam
Recidere ad paucos

itemque ex v. 44 seqq.

Sinite inpetrare me, qui in tutelam meam
Studium suom et se in uostram commisit fidem,
Ne eum circumuentum inique iniqui inrideant.

Hos poetam paene nulla fiducia sui scripsisse apertum est; ex quo colligere licet causam Terenti, quum tam submisse se gereret, ut novi poetae de fama et existimatione annitentis in tanto discrimine fuisse, ut exacta fabula, quam grex acturus erat, periculum esset, ne a studio suo retraheretur. In tanto vero discrimine rem fuisse, quum Heautontimorumenos ageretur, quis est qui neget? At quo tempore Hecyra tertium in scenam data est, cur Terentius, quo incertum est an nemo tum clarior ex poetis fuerit, [10]) quinque comoediis populo probatis, una ex

[10]) Cf. J. Vahlen, Annal. acad. Berol. 1876 p. 798 „in einer Zeit zumal (sc. a. 594), in welcher kein irgend mit Terentius vergleichbarer Dichter für die Bühne thätig war.“

his successu ingenti, se in actoris tutelam committeret, cur timeret, ne Hecyra minus probata ars musica ad paucos illos adversarios recideret? Nonne ex ipso, quod Hecyram fabulam bis oppressam denuo rettulit, Terentium non parvam auctoritatem gratiamque et magnam fiduciam ingenii sui ac famae adeptum esse apparet? An vero censes tironem illud ausurum fuisse? — At enim Ambivius ipse prologum demissorum verborum plenum pronuntiavit! Sane preces adhibitae sunt, sed minus pro poeta quam pro fabula brevi ante iterum oppressa. Quidni Terentius omni ope et opera eniteretur, ut fabula, quae una non steterat, tandem cognosceretur et probaretur? quod ut assequeretur, placidis, modestis, supplicibus verbis opus erat. Itaque poeta calamitate bis accepta doctus talia verba suppressit, quibus populus laederetur (cf. prol. I v. 4 populus stupidus), Ambivio oratore usus est, defendendo et vexando abstinuit; denique id unum egit, ut fabulam commendaret.[11]) Quantaecunque vero curae fabula Hecyra poetae fuit, in eum tum locum rem redisse, ut omnino fama et existimatio Terenti ageretur, infitiandum est.

Quae quum ita sint, versus 35—46 prologi Heaut. in prologum Hecyrae, versus 38—49 prologi Hecyrae in prologum Heaut. transponendi sunt. Hos duos locos iam antiquis temporibus permutatos esse nescio an hoc quoque indicio sit, quod versus

Si nunquam auare pretium statui arti meae
Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume seruire uostris commodis

in utroque prologo a plerisque libris exhibentur. Bembinus mire ex tribus illis versibus unum tertium in prologo Heaut., omnes tres in prologo Hecyrae habet.

Restat ut dicam de versibus 51 et 52 prologi Heaut.

---

[11]) Eodem modo Dziatzko in editione p. XXXIV indicat: „videtur potius poeta consulto sua ipsius persona magis remota et quasi abdita ex Ambivi persona fabulam illam commendare voluisse.“

Exemplum statuite in me, ut adulescentuli
Vobis placere studeant potius quam sibi.

Quinam sunt illi adulescentuli? Dziatzko quidem, qui (in edit. p. V ann. 3) sic intellegit: „Heaut. 51 sq. Ambivius prologus vel cum despectu quodam adversarios Terenti ut ‚adulescentulos‘ denotat“, erravisse mihi videtur; apertum enim est, non Terentium, sed Ambivium senem illis adulescentulis oppositum esse. Fortasse quispiam de alio grege atque Ambivi cogitaverit. Sed ne hoc quidem recte se habet; nam et in quovis alio grege senes actores et in Ambivi grege adulescentulos fuisse facile credas.

Quid vero? si Ambivius omnino adulescentulos, quin etiam sui gregis adulescentulos illis verbis carpsit? Ipse enim partes, quae fere erant adulescentium, susceperat, ut oratio poetae graviore vi atque arte pronuntiaretur, quam fieri solebat ab adulescentulis, qui — hoc ex duobus illis versibus cognoscitur — ornatu pulchro induti, quae est adulescentulorum vanitas, sibi placentes parum operae verbis poetae dabant. Quae si ita sunt, versus duo illi non in fine prologi — finis prologi nullis versibus aptius quam versibus ex Hecyrae prologo transpositis expletur —, sed post v. 15 legendi sunt. En totum illum locum:

Oratorem esse uoluit me, non prologum:
Vostrum iudicium fecit: me actorem dedit.
Si hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Exemplum statuite in me, ut adulescentuli
Vobis placere studeant potius quam sibi.

Quoniam de singulis locis et versibus prologi Heautontimorumenu ita disserui, ut primum ostenderem ordinem versibus 1—3 propositum conservandum esse, tum versum 10, quippe qui ordinem illum valde tueretur, retinendum esse, deinde versum 4 a prologo alienum esse, tum versuum 7—9 iustam sedem esse in Adelphon prologo, deinde versus 35—47 in

prologum II Hecyrae, pro eis versus 37—45 prologi II Hecyrae in prologum Heautontimorumenu inserendos esse, denique versus 51 et 52 post v. 15 collocandos esse, nunc totum prologum recte, ut opinor, compositum sic do:

Nequoi sit uostrum mirum, quor partis seni
Poeta dederit, quae sunt adulescentium:
Id primum dicam, deinde quod ueni eloquar.
Oratorem esse uoluit me, non prologum:
Vostrum iudicium fecit: me actorem dedit,
Si hic actor tantum poterit a facundia,
Quantum ille potuit cogitare commode,
Qui orationem hanc scripsit, quam dicturus sum.
Exemplum statuite in me, ut adulescentuli
Vobis placere studeant potius quam sibi.
Nunc quam ob rem has partis didicerim paucis dabo.
Hodie sum acturus Heauton timorumenon:
Duplex quae ex argumento facta est simplici.
Nam quod rumores distulerunt maliuoli,
Multas contaminasse Graecas, dum facit
Paucas Latinas, factum id esse hic non negat,
Neque se pigere et deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum, quo exemplo sibi
Licere id facere quod illi fecerunt putat.
Tum quod maliuolus uetus poeta dictitat,
Repente ad studium hunc se adplicasse musicum,
Amicum ingenio fretum, haud natura sua:
Arbitrium uostrum, uostra existumatio
Valebit. qua re oratos uos omnis uolo,
Ne plus iniquom possit quam aequom oratio.
Facite aequi sitis: date crescendi copiam,
Nouarum qui spectandi faciunt copiam
Sine uitiis: ne ille pro se dictum existumet,
Qui nuper fecit seruo currenti in uia
Decesse populum: quor insano seruiat?
De illius peccatis plura dicet, quom dabit
Alias nouas, nisi finem maledictis facit.
Nolite sinere per uos artem musicam
Recidere ad paucos: facite ut uostra auctoritas
Meae auctoritati fautrix adiutrixque sit.
Si numquam auare pretium statui arti meae

Et eum esse quaestum in animum induxi maxumum,
Quam maxume seruire uostris commodis:
Sinite inpetrare me, qui in tutelam meam
Studium suom et se in uostram commisit fidem,
Ne eum circumuentum inique iniqui inrideant.
Mea causa causam accipite et date silentium,
Vt lubeat scribere alias [12]) mihique ut discere
Nouas expediat posthac pretio emptas meo.

De vitiis fabulae Heautontimorumenu.

Quod supra (p. 17) de vestigiis contaminationis ex ipsa fabula Heaut. indagandis pollicitus sum, nunc praestabo. Ac primum de protasi dicam. Cuius hians compositio ex versu 409. quo actus II finitur, cognoscitur. Syrus enim dicit:

Ite intro; nam uos iam dudum expectat senex.

Haec verba veritati prorsus repugnant; neque enim exspectat senex illos omnes, nedum iam dudum exspectet. Videamus quid Chremes actu I — per totum actum II in scenam non prodit — egerit et locutus sit. Primum a Menedemo audivit Cliniam in Asiam abisse, tum a Clitiphone Cliniam redisse et ipsius domi esse. Obiter Clitipho narravit v. 191:

Nunc seruolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.

ad quae ipsa Chremes nihil respondit. Deinde postquam Clitiphonem monuit, ut periculum ex aliis faceret, sibi quid ex usu esset, scena cessit. — Ex his quis est, qui colligat senem amicae Cliniae adventum exspectare? An, quod Syrus

[12]) „alias“, non „aliis“, scripsisse poetam cum Bentleio arbitror; solo enim pro Terentio Ambivius orator exstitit; cur igitur „aliis“, in quo numero vel adversarii Terenti ponendi essent, inserviret? Praeterea cur Terenti fabula improbata „aliis“ non liberet novas fabulas scribere?

excogitaverat, tam leve erat, ut inscio sene posset fieri? Eia vero, meretrix procax et sumptuosa cum grege ancillarum domum honesti et gravis senis devertitur! Miram illam quidem hospitalitatem, si permissu senis meretrix veniret, sed incredibilem profecto, si, ut in nostra comoedia fit, senis venia neque petita neque data est! At extra scenam factum esse, ut Chremes veniam illam daret, sumere licet. Minime id quidem! Nam Syrus in urbem abiit, priusquam Clitipho cum patre collocutus est eumque de reditu Cliniae edocuit. Cf. v. 191

Nunc seruolum ad eam in urbem misit, et ego nostrum una Syrum.

Hoc si respexeris, quae a Syro in urbe acta sunt, non modo temere, sed dementer acta esse non neges. Ac reversum ex urbe Syrum ita se gerere videmus, quasi res inter Chremetem et adulescentes plane convenisset. Cf, v. 332 sq.

Adsimulabimus
Tuam amicam huius esse.

et v. 254 sq.

Di boni, quid turbaest! aedes nostrae uix capient, scio.
Quid comedent! quid ebibent! quid sene erit nostro miserius?

Quantacunque vero licentia poetarum fuit, tam absurdam protasin quemquam ex Graecis comicis excogitasse quis credat? Neque Terentius tanta vitia exemplaris non vidisset neque immutata reliquisset. Quid multa? Non Graeco poetae, sed contaminanti Latino vitia illa debentur.

Iam afferam alia argumenta etsi leviora, tamen satis idonea ad motam suspicionem firmandam.

Cum versibus 53 sq.

Quamquam haec inter nos nuper notitia admodumst
Inde adeo quom agrum in proxumo hic mercatus es

non congruunt Clitiphonis verba v. 183 sq.

nam mihi magna cum eo iam inde a pueritia
Fuit semper familiaritas.

An vel in comoedia verisimile est inter filios iam a pueritia magnam familiaritatem, inter patres nullam prorsus notitiam

fuisse? Ut vero inter patres nulla notitia fuerit, illud incredibile est, Clitiphoni Menedemum patrem amici ignotum fuisse. Qua de causa mirum est Clitiphonem, quamquam Menedemus in proximo habitat, quanto filii desiderio ille teneatur, prorsus ignorare, id quod intellegitur ex v. 189

Timet omnia, patris iram

et ex vss. 197 sq.

Immo ille fuit senex inportunus semper, et nunc nil magis
Vereor quam nequid in illum iratus plus satis faxit.

Aut Menedemus desiderium suum diligentissime dissimulavit aut Clitipho, quae in proximo agebantur, consulto noluit videre: utrum veri dissimilius est? Ac ne Syrus quidem servus ille vaferrimus, quam mutato animo senex esset, perspexit. Cf. v. 402

Immo ut patrem tuom uidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

Haec omnia ab hominum uita ac consuetudine aliena ab illo clarissimo poeta Graeco facta esse num credamus, ad quem spectat illud Aristophanis Byzantii: ὦ Μένανδρε καὶ βίε, πότερος ἆρ' ὑμῶν πότερον ἀπεμιμήσατο et Quintiliani haec: „ita omnem vitae imaginem expressit, tanta in eo inveniendi copia et eloquendi facultas, ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus.“? Nec minus incredibile est Latinum poetam illum accuratissimum, qui tenuissimo scrupulo motus in Andria Simonem cum Sosia liberto quam cum uxore de filio colloqui maluerit, nihil in eis offensurum fuisse, quae mira esse modo demonstravi. Omnia vero haec vitia eiusmodi sunt, ut quam in simplicem fabulam invadere potuerint non intellegatur, at quodammodo excusentur in contaminata.

Ac quae Chremes dicit v. 159 sq.

Menedeme, at porro recte spero et illum tibi
Saluom adfuturum esse hic confido propediem.

indicio esse videntur Graecam fabulam esse mutatam a Terentio. Potuit enim senex, ut vicinum consolaretur, dicere „spero illum tibi salvom adfuturum esse“, non potuit, puto, pergere „confido

propediem". Nam in Terentiana fabula nihildum scit Chremes de reditu Cliniae. Quodsi Terentius illos versus vertens verbum de verbo expressum extulit, inde colligi licet in Graeca fabula Chremetem cum vicino colloquentem iam edoctum esse Cliniam redisse aut brevi rediturum esse.

Ac contaminanti poetae dubito an hoc quoque vitio dandum sit, quod Syri consilium quamvis audax, obscurum, ratione prorsus egens ab utroque adulescente probatur: et a Clitiphone, quamquam iusta causa dicit v. 336 sq.

Fabulae:

Nil satis firmi uideo, quam ob rem accipere hunc mi expediat metum.

et a Clinia, qui maximo Antiphilae desiderio commotus modo in patriam redux nihil antiquius habet, quam ut alienam mulierem moribus illi diversam suam amicam esse simulet idque coram ipsa Antiphila. Ac non Clitipho Cliniae, sed, quod maxime mirum est, Clinia Clitiphoni persuadet, cf. v. 342 sqq.

Clit. Quid ago nunc? Clin. Tune? quod boni Clit. Syre, dic modo
Verum Syr. Age modo: hodie sero ac nequiquam uoles.
Cin. datur, fruare dum licet: nam nescias,
Clit. Syre inquam! Syr. Perge porro, tamen istuc ago.
Clin. eius sit potestas posthac an numquam tibi.
Clit. Verum hercle istuc est.

Cum trium illorum voces in unum confundi facit, poeta inanitatem dictorum tegit: nihil enim boni Clitiphoni proponitur, quippe cui postea ne salutare quidem Bacchidem (cf. v. 379) liceat, nedum alia ulla domi fruendi potestas detur. A Clinia autem res gravissima atque acerbissima postulatur; postulatur enim, ut adulescens ille amorem amicitiae permittat; quod priusquam concedat, suo iure interrogare potest et debet, ad quem finem tam acerbum amicitiae officium praestare necesse sit. Neque vero modo non flagitat, ut Syrus, quod in animo habeat, plane et accurate explicet, sed etiam Clitiphonem iusta causa dubitantem multo labore ad sententiam minime perspicuam Syri perducit.

Quantopere et quam celeriter in adulescente ardens Anti-

philae amor refrigeratus est! Quae virgo profecto misericordiam nostram exposcere videtur. Libentissimo enim animo ad Cliniam festinans non est verita una cum meretrice Bacchide Syrum sequi. Vix autem magno cum gaudio adulescentem carissimum viderat et salutaverat, quum continuo post verba ab imo pectore expressa ab ipso illo adulescente cogitur amatore cedere illi meretrici, quin etiam pati se in grege meretricis numerari. Ac ne edocetur quidem, cur et quo consilio illud fiat; neque interrogatur neque oratur neque quisquam timet, ne illa gravetur. Ita quum potius alieni quam sui iuris atque arbitrii esse videatur, suspicio non abest, quin in Graeca fabula illa virgo, quae postea filia Chremetis agnoscitur, non libera fuerit, sed vero Bacchidi arraboni pro debito argento relicta sit.[13]) Hoc si verum est, totam scenam II 4 aliunde additam esse sequitur, id quod vel ex eo conicias, quod in una illa exigua scena Antiphila loquens inducitur, quae per totam reliquam fabulam easdem fere partes sustinet, quas Pamphila in Eunucho. Abducta enim ad matrem Clitiphonis virgo ipsa in scenam non iam prodit. — De abducendo vero ad matrem mira est obscuritas. Iure enim quaeritur, cur, quorsus, quo nomine, quo titulo illud fiat; de his omnibus

---

[13]) Cf. quae de hoc Syrus narrat v. 600 sqq.

Fuit quaedam anus Corinthia
Hic: huic drachumarum haec argenti mille dederat mutuom.
Chrem. Quid tum? Syr. Ea mortuast: reliquit filiam adulescentulam.
Ea relicta huic arrabonist pro illo argento.

quae omnia Syrus narrat, quasi non vera, sed fallaci consilio ab ipso et Bacchide ficta (cf. v. 596 sq.). His repugnant ea, quae Syrus dicit v. 790 sqq. sed illud quod tibi
Dixi de argento, quod ista debet Bacchidi,
Id nunc reddendumst illi:

Ad haec Chremes non respondet, quod exspectamus: „Quid? Nonne omnia, quae de illa re dixeras, ficta erant?“, sed statim ad pecuniam deferendam est promptus. Ac ne hanc quidem discrepantiam in Graeca fabula fuisse arbitror.

per totam fabulam non edocemur. Clitiphoni interroganti: „Quid eo?" respondet Syrus inania haec v. 335 sq.

Longumst, Clitipho,
Si tibi narrem, quam obrem id faciam: uera causa est.

Quam non vera sit causa, nemo non videt.

Ac ne de Bacchide quidem omnia plana sunt. Haec quo modo a Syro domum Chremetis inducta sit, duobus locis narratur. Alter est v. 362 sqq.

Clit. At hoc demiror, qui tam facile potueris
Persuadere illi, quae solet quos spernere!
Syr. In tempore ad eam ueni, quod rerum omniumst
Primum: nam quendam misere offendi ibi militem
Eius noctem orantem; haec arte tractabat uirum,
Ut illius animum cupidum inopia incenderet:
Eademque ut esset apud te hoc quam gratissumum.

alter 723 sq.

Bacch. Satis pol proterue me Syri promissa huc induxerunt,
Decem minas quas mihi dare pollicitust.

Duo illi loci adeo non congruunt, ut vix ad eandem meretricem spectare videantur.

Ac de protasi haec hactenus; ex reliquis fabulae partibus maxime duo loci ad nostram quaestionem pertinere mihi videntur. Alter est Act. III sc. 3, ubi mirari licet, quam non praestet Menedemo Chremes, quod inter eos convenerat v. 494 sqq.

Mened. Scin quid nunc facere te uolo?
Chrem. Dic. Mened. Quod sensisti illos me incipere fallere,
Id ut maturent facere: cupio illi dare
Quod uolt, cupio ipsum iam uidere. Chrem. Operam dabo.

Excogitaverat enim Syrus fallaciam, excogitatam nulla causa Chremes repudiat. Interest vero Menedemum quam celerrime, non quam callidissime falli.

Alter locus est act. IV sc. 2, ubi Syrus haec expromit:

Nisi me animus fallit, haud multum a me aberit infortunium.
Ita hac re in angustum oppido nunc meae coguntur copiae:
Nisi aliquid uideo, ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.

Hactenus omnia recta; Antiphila enim agnita fieri non potest, quin fraus detegatur. Sed mira sunt, quae sequuntur:

Nam quod de argento sperem ant posse postulem me fallere,
Nil est: triumpho. si licet me latere tecto abscedere.
Crucior bolum mihi tantum ereptum tam desubito e faucibus.

Verba enim „bolum tantum ereptum“ nisi ad Antiphilam referri non possunt. Sed ex Antiphila nondum agnita Syrus fructum neque cepit neque sperare potuit; at agnita virgo ei instar magni boli est. Nunc enim demum Chremetis ipsius argento emungendi est occasio, quae antea nulla fuerat. Quod enim ad Menedemum fallaciam intenderat, intenderat suasore Chremete neque serio in animo habuerat Clitiphoni ab alieno sene pecuniam, quam Bacchidi daret, subministrare. Nihil igitur videmus, cur Syrus dicere possit „Nam quod de argento sperem, nihil est“ aut paulo infra: „Retraham idem illud fugitiuom argentum.“

Nec magna iam calliditate ad senem per Antiphilam fallendum opus est; tamen Syrus ita se gerit, quasi difficillima ratio sibi sit ineunda, Cf. v. 674 sqq.

Quid agam? aut quid comminiscar? ratio de integro ineundast mihi:
Nil tam difficilest, quin quaerendo inuestigari possiet.
Quid si hoc nunc sic incipiam? nil est. quid sic? tantundem egero.
At sic opinor: non potest. immo optume. euge habeo optumam.
Retraham hercle opinor idem illud ad me fugitiuom argentum tamen.

Haec sunt magna verba de consilio, quod ipsum animo paene obtrudatur. Quibus de causis suspicari licet versus 671—678 ex accommodatiore alius alicuius Graecae fabulae loco evulsos a Terentio in Heautontimorumenon transpositos esse.

Restat ut de nomine fabulae paucis dicam. Hoc a vero fabulae argumento alienum est.[14]) Nam senex ille ipse se excrucians, quamquam Act. I sc. 1 primas partes sustinet, in reliquis actibus a ceteris personis obscuratus nullius fere ponderis est ad verum fabulae argumentum evolvendum et ad finem perducendum. Summam enim argumenti si feceris, invenies

---

[14]) Similiter C. Venediger l. c. p. 135 iudicat: „Fassen wir das gesagte zusammen, so sehen wir, dass dem stück . . . . auch der name Heautontimorumenos nur zur hälfte zukommt.“

hoc: Senex superbam suae prudentiae fiduciam ostentans petulantissime a suo ipsius filio eiusque servo fallitur. Eminent igitur in fabula Chremes, Clitipho, Syrus; secundas partes agunt Menedemus, Clinia, Dromo.

Sane constat non magnae curae fuisse veteribus poetis de nominibus fabularum; plerumque igitur ex ipso nomine colligi non potest, quale sit argumentum, quomodo moratae personae. Sed hoc pertinet ad ea nomina, quibus nulla inest singularis vis aut significatio. Aliter vero de nomine Heautontimorumenos iudicandum est. Tali enim nomine certam exspectationem de fabula, argumento, personis moveri quis est, qui neget? Quae exspectatio in Terentiana Heautontimorumeno, etsi initio expletur, postea tamen prorsus fallitur. Pro fabula stataria enim videmus motoriam, pro argumento leni turbulentum, pro patre se cruciante patrem iratum, quod quidem ad primas partes attinet. Quodsi Heautontimorumenos Terentiana ex una et simplici Graeca esset facta, non intellegeretur, qua causa poeta Graecus moveri potuisset, ut nomen ab ipso argumento alienum eligeret; sin autem fabulam Terentianam ex duabus Graecis contaminatam [15]) esse statuimus, facile perspicitur, quo modo fieri potuerit, ut fabulae illud nomen obtingeret. Terentio enim, ut ei mos erat Graecum nomen servare, duo nomina praesto erant: alteri Graecae fabulae nomen Heautontimorumenos, alteri nescio quod nomen erat. Alterumutrum eligendum erat; elegit Terentius nomen Heautontimorumenos, fortasse quod de prima scena et partibus Menedemi bene sperabat. Contaminans igitur poeta sine ulla dubitatione et iusta quadam causa fecit, quod simplicis fabulae auctori numquam, puto, in mentem venisset.

Haec habui quae dicerem de vestigiis contaminationis ex vitiis fabulae Heautontimorumenu exstantibus.

---

[15]) Dubito an nemini Venediger persuaserit de suo Terentium dimidiam vel potius maiorem partem fabulae dedisse.

II. Ex prologis quid de ordine fabularum appareat.

Idem fere quod ante hos septendecim annos Paeckelmann (De ordine Terenti fabularum potissimum prologis adhibitis. Diss. Halis 1875) tractavit, tractandum mihi proposui, maxime quod magni interesse explorari existimabam, soli prologi quae indicia de ordine fabularum exhiberent. Testimoniis igitur prologorum, didascaliarum, Donati, id quod Paeckelmannus fecit, non promiscue utar, sed ita in hac quaestione versabor, quasi alia ac prologorum testimonia non exstarent.

Atque ordienda est quaestio a prologi Phormionis versibus 30—34

> Date operam, adeste aequo animo per silentium,
> Ne simili utamur fortuna, atque usi sumus,
> Quom per tumultum noster grex motus locost,
> Quem actoris uirtus nobis restituit locum
> Bonitasque uostra adiutans atque aequanimitas.

Ex his apparet ante Phormionem duas fabulas actas esse, quarum alteram non peractam, alteram maxime actoris virtute placitam esse. Ex duabus his priorem Hecyram fuisse pluribus ostendere non est opus; quae posterior fuerit, iam quaeramus. Ac reputanti bis Terentio fortunam scenicam fuisse adversam (Hecyra I et II), bis autem (Heaut. et Hecyr. III) prologi partes praeter morem seni domino gregis, qui multum auctoritate ac gratia apud populum valebat, datas esse, ex duabus his rebus certe inter se cohaerentibus recte efficere mihi videor post Hecyrae primam actionem Heautontimorumenon et post Hecyrae

secundam actionem eandem fabulam tertium actam esse. Accedit quod, quae de virtute actoris in Phormionis prologo dicta sunt, optime intelleguntur, si ante Phormionem Heautontimorumenos acta est. Ex versibus 9—11 enim:

Quod si intellegeret, quom stetit olim noua,
Actoris opera magis stetisse quam sua,
Minus multo audacter quam nunc laedit laederet.

perspicitur Terentium adversario, qui fabulam ante Phormionem actam vituperaverat ut plausu virtute actoris excitato indignam, ita respondisse, ut fabula illa nullo modo defensa adversarium commonefaceret, quam multum ipse ille debuisset virtuti actoris. Concessit igitur quodammodo Terentius fabulam magis actoris quam sua opera stetisse, quod idem apparet ex versu 33

Quem actoris uirtus nobis restituit locum.

Heautontimorumenos fabula vero ut vitiis non vacua (cf. quae supra disserui) obiurgandi adversariis, ita actori excellendi locum dedit haud exiguum. Efficaciores enim partes quam Chremetis vix umquam Ambivius egit; ac facile credas populum illius actoris arte in tantam admirationem plausumque raptum esse, ut in fabulae vitiis coniveret.

Idem Ambivius vel ante ipsius fabulae actionem optime de fabula ac poeta meritus est; prologi enim partibus susceptis sua facundia et auctoritate impetravit, ut populus aequo animo per silentium adesset et pernosceret, quid sibi Heautontimorumenos vellet.

Ex his non solum efficitur Heautontimorumenon ante Phormionem et post Hecyram (I) actam esse, sed etiam continuum ordinem harum trium fabularum nulla alia Terentiana fabula interpellatum esse. An vero credibile est post Hecyram I et Heautontimorumenon aliam aliquam fabulam Terentianam in scenam datam esse, in cuius prologo neutrius illarum fabularum mentio fieret,[16]) tum demum Phormionem actam esse cum prologo

[16]) Prologos ambos Hecyrae huc non pertinere nemo non videt, reliqui autem prologi nullam mentionem Hecyrae aut Heautont. habent.

illo, in quo quam contractus (cf. v. 18) fuerit animus suus post Hecyrae actionem infelicem, quam diffusus (cf. v. 1 sq. et 31 sqq.) post Heautontimorumenon cum successu actam, tam ingenue poeta confitetur, ut illarum duarum fabularum recordationem memoriàmque nulla alius novae fabulae actione repressam etiam tunc recentem fuisse eluceat?

Deinceps ex prologis indagare studebo, quae prima Terent fabula fuerit. Ad hanc quaestionem magni interest explorari, utrum cum prologo an sine prologo Terentius primam fabulam docuerit; quod facile diiudicaveris, si, quae de provincia prologorum sententia Terentio steterit, consideraveris. Haec ex prologis plane cognoscitur. Quod enim in Adelphon prologo poeta monet „Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae", in omnibus fabulis valere videmus neque difficile est intellectu, cur argumentum narrare de industria poeta noluerit; quotiens enim fabulam docebat, tanta arte eam fecisse sibi conscius erat, ut narratio argumenti non modo necessaria, sed ne utilis quidem esset. Nolebat igitur poeta in prologis argumentum narrare. Ita vero de hac re sentientem poetam omnino prologos non scribere propositum habuisse vix mireris. Et vero Terentius primum quidem sine prologis fabulas in scenam dare statuerat, id quod perspicuum est ex Andr. prol. vss. 1—3

> Poeta quom primum animum ad scribendum adpulit,
> Id sibi negoti credidit solum dari,
> Populo ut placerent quas fecisset fabulas.

Nec minus certum est fecisse Terentium, quod statuerat. Hecyrae enim prima actio prologo caruit.[17]) Praeterea ex Phorm. prol. vss. 12—14

Ceterum iam Liebig (De. prol. Ter. et Plaut. p. 16) miratus est, quod ex auctoritate didascaliarum inter Heaut. et Phormionem Eunuchus interponenda esset.

[17]) Nihil video, cur etiam ad primam Hecyrae actionem prologum scriptum esse eumque excidisse credamus, id quod Dziatzko ne tituli quidem verbis fide habita vult. Etiam Phil. Fabia (les prologues de Térence, Paris 1888) Terentium septem nostros, non plures prologos

Nunc siquis est, qui hoc dicat aut sic cogitet:
Vetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum inuenire prologum posset nouos.

apparet poetam ante Phormionem quasdam fabulas, aut certe unam, sine prologo in scenam dedisse. Perspicuum igitur est primum voluisse Terentium sine prologis fabulas agi. Postea autem qua de causa etiam ad prologos scribendos animum appulerit, ipse poeta in Andriae prologo profitetur:

Nam in prologis scribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, sed qui maliuoli
Veteris poetae maledictis respondeat.

Maledixerat igitur vetus poeta, respondebat Terentius. Quid vero? Num credamus Terentio vel primam fabulam docenti causam locumque respondendi fuisse? Minime, nam ignoti homines, ut nemini fere admirationi, ita ne obtrectationi quidem esse solent; ex successu demum invidia, gloriae assidua comes, nascitur. Verisimilius igitur est, si modo Luscius Terentium ante actam primam eius fabulam noverat, veteranum tironem naso adunco suspendisse quam dignum eum esse putavisse, cui, quamquam ne unam quidem fabulam populo probavisset, obtrectaret. Neque vereor, ne qua notitia inter veterem et novum poetam ante primam Terenti fabulam actam fuerit. Ex versibus 22 et 23 enim prol. Heaut.

Tum quod maliuolus uetus poeta dictitat.
Repente ad studium hunc se applicasse musicum

satis apparet novi poetae primam fabulam de improviso veteri poetae eiusque asseclis intervenisse.

Iam paucis complectar, quae modo disserui: Noluit Terentius prologos scribere; lacessitus demum maledictis adversariorum prologos scribere coepit. Atqui nullos habuit Terentius adversarios, priusquam prima eius fabula spectata placuit. Sine prologo ergo Terentius primam fabulam docuit.

scripsisse iudicat, quod quidem perspexi ex eis, quae A. Engelbrecht in illius libri, quem ipsum inspicere non potui, censura breviter exposuit (Berl. Phil. Wochenschr. 1890 No. 14 p. 434—436).

Hoc si verum est, quaestio de prima fabula instituta iam ad finem perducta esse videtur. Una enim Hecyra prologo caret. Sed Hecyram non primam fabulam fuisse ex prologo Heautontim., quae fabula Hecyram secuta est, cognoscitur. Parum enim intellegeremus, cur poetae, cuius una fabula non peracta esset, ab adversariis, a quorum opprobriis in Heaut. prologo tantopere se defendit, obtrectatum esset.

Maxime vero ex v. 17 sq.

> Multas contaminasse Graecas, dum facit
> Paucas Latinas

perspicuum est non unam, sed plures comoedias Heautontimorumeno antecessisse.

Quodsi utrumque verum est: et fabulam primam sine prologo actam esse et Hecyram non primam a Terentio scriptam esse, quam tandem ex ceteris fabulis, quarum suum quaeque prologum habeat, primo loco in scenam datam esse censeamus? Sane nulla ex reliquis fabulis prologo caret; sed prologis Hecyrae edocemur Terentium etiam fabulis relatis prologos praemisisse. Explorandum igitur est, utrum ad novam an ad relatam singuli prologi spectent. Ac prologos Adelphon, Phormionis, Heautontimorumenu ad primam quemque actionem pertinere ex ipsa voce „novus" cognoscitur; cf. Phorm. prol. „adporto novam" Adelph. „Eam nos acturi sumus novam" Heaut. „Ut lubeat scribere alias mihique ut discere Novas expediat." In Eunuchi autem prologo quamquam poeta voce „novus" non est usus, tamen ex versibus 19—29 planissime apparet illum prologum novam subsecutam esse.

At in Andriae prologo nec hoc nec illo modo poeta novam fabulam indicavit. Ex quo suspicari licet prologum non ad primam Andriae actionem scriptum esse. Recte sane Dziatzko exposuit non necesse fuisse post pronuntiatum titulum prologo iterum populum edocere novam esse fabulam. Sed quod necesse non erat, tamen Terentius fecit in reliquis prologis, in uno Andriae prologo non fecit. Hoc eo magis mirum est, quo

tenaciorem normae sibi propositae vel in minutis rebus poetam fuisse cognovimus. Cf. quae de formula transitum efficiente pag. 3 et de prologorum extremis versibus p. 17 exposui. Ac, quamquam ne hoc quidem necesse erat, in nullo prologo poeta non commemoravit fabulae nomen, quod si in uno desset, iure miraremur.

Sed graviora argumenta accedunt. Ex versibus 13—16 enim Andr. prol.

> Quae conuenere in Andriam ex Perinthia
> Fatetur transtulisse atque usum pro suis.
> Id isti uituperant factum atque in eo disputant
> Contaminari non decere fabulas.

perspicitur adversariorum scientiam de Andriae argumento haud ita exiguam fuisse. Quo modo vero fieri potuit, ut adversarii novae fabulae tam gnari Terentium vituperarent, priusquam primum fabula acta esset? At idem Terentio accidit Adelphos et Eunucho docenti! Sane vetus poeta per insidias Adelphon argumento explorato fabulam nondum actam carpere potuit. Sed quis credat bis eadem fallacia Terentium ab adversariis oppressum esse? Semel ille quidem incautus fuit, quidni postea doctior caverit? Legitimam vero quandam potestatem inspiciendi et maledicendi, antequam Eunuchus populo probari posset, vetus poeta adeptus est eamque certe invito Terentio. Mirum ni hic, quoad poterat, adversarium a simili copia inspiciendi exclusit! Ita, credo, iudicandum est, si post Eunuchum sive Adelphos Andria acta est. Sin autem Andria prior fabula fuit, vel multo veri dissimilius est Terentium bis eadem fallacia ab adversariis oppressum esse. An putas Terentium insidias primum sibi structas silentio praeterisse, iteratas demum stomachose commemoravisse idque ita, ut minime iteratas significaret?

Gravissimo autem argumento est, quod poeta, postquam v. 24 populum oravit, ut animum attenderet, non ut pernosceret, quid sibi Andria vellet, sed ut r e m c o g n o s c e r e t i. e. contro-

versiam de contaminatione ab adversariis illatam diiudicaret, prologum sic terminat:

Vt pernoscatis, ecquid spei sit relicuom:
Posthac quas faciet de integro comoedias,
Spectandae an exigendae sint uobis prius.

Ex quo perspicuum est poetam non de ipsa Andria, sed de fabulis, quas posthac de integro facere in animo habebat, sollicitum fuisse. Hoc admodum mirum esset, si prima Andriae actio illos versus secuta esset, nihil autem habet offensionis, si prologus ad relatam ac iam probatam Andriam pertinebat.[18])

Relata autem Andria etiam verbis „de integro“ (v. 26) significatur; his enim pro adiectivo „novus“, quippe quod versum non expleret, usus est poeta. V. 26 igitur hoc sibi vult: „Posthac quas faciet novas comoedias“. Hoc poetam non potuisse dicere consentaneum est nisi ita, ut contrarium quoddam (scil. voci „novas“ oppositum) animo ipsius et spectatoribus obversaretur; neque alia contraria res cogitari potest nisi „relata Andria.“ Finis igitur prologi sic accipiendus est: „Postquam relatam Andriam spectaveritis et rem cognoveritis, scietis, quid de poeta in posterum sperare possitis; eodem enim, quo in hac relata, posthac in fabulis, quas de integro i. e. novas faciet, contaminationis artificio utetur.“

Iam satis apparet poetam, ut controversia de contaminatione orta dirimeretur, Andriam fabulam iam spectatam ac probatam referendam curavisse, ad quam demum actionem prologum, qui

---

[18]) Cf. A. Spengel, Andriae ed. II 1888 p. XI: Es lässt sich nicht leugnen, dass so (scil. wenn der Prolog zu einer späteren Aufführung gehörte) die Schlussworte V. 24—27 an Natürlichkeit gewinnen. Denn der Dichter bittet hier nicht, wie man zunächst erwarten sollte, um günstige Aufnahme dieses Stückes (vgl. den Schluss des Prologs zum Eunuchus:

Date operam, cum silentio animum attendite,
Ut pernoscatis, quid sibi Eunuchus uelit),

sondern um Aufmunterung für die Zukunft, um beistimmendes Urteil über die Art seiner poetischen Thätigkeit.

in libris Andriae antecedit, scripsit. (Cf. etiam annotatio 20). Primum igitur Andria sine prologo acta est. Ex hoc et ex eis, quae supra demonstrata sunt, sequitur, ut primam fabulam Terentius scripserit Andriam.

Iam vero inquirendum est Andriam quae fabula secuta sit. Huic quaestioni tres fabulae reliquae sunt: Hecyra, Eunuchus, Adelphoe: ex quibus Hecyra ob id ipsum secernenda est, quod sine prologo acta est. Quando enim Terentium ab adversariis vehementius criminibus vexatum esse arbitreris quam post primam eius fabulam praeter opinionem illorum prospero successu actam? quando poetae magis necesse fuisse censeas maledictis adversariorum respondere quam iterum fabulam docturo? Secundam igitur fabulam prologo non caruisse pro certo habeo. — Ac ne Eunuchus quidem fabula secunda fuit, siquidem „existumauit" perfectum (prol. v. 5), quod Bembinus aliique libri exhibent, recte se habet[19]); ex quo perspicitur iam in priore aliquo Terenti prologo inclementius in aliquem dictum esse. Accedit quod in Eunuchi prologo nihil de hominibus nobilibus commemoratur, quorum ingenio fretum Terentium repente ad studium musicum se applicasse adversarii insimulaverant, quae insimulatio prima certe divulgata in primo prologo Terentio repellenda fuit.[20]) — At in Adelphon prologo poeta plane atque eleganter illud crimen redarguit. (Cf. quae supra p. 14 sq. disserui.) Praeterea in Adelphon prologo nihil invenitur, ex quo priorem iam aliquem prologum a poeta scriptum esse suspiceris; immo talis apparet, qualem primum prologum expectaveris. Sic

[19]) Etiam Donatum „existumauit" in libris invenisse verisimillimum est, nam „existumat", quae forma versui obstat, eum legisse et firmasse incredibile est; qua de causa quod Donatus ad hunc locum adnotat: „existumat" pro „existumauit" cum Vahlenio sic mutandum esse arbitror: „existumauit" pro „existumat".

[20]) Eodem hoc argumento contra eos uti licet, qui Andriae prologum ad primam actionem pertinere volunt; nam ne in hoc quidem de illo crimine mentio fit.

enim incipit: „Postquam poetae sensit scripturam suam ab iniquis obseruari“; aptissime „sensit“ in primo prologo dictum est, in posteriore aliquo mirum esset. Atque in Adelph. prologo uno ab „iniquis“, „aduersariis“ „maliuolis“, non a „uetere poeta“, ut in ceteris, Terentius se defendit. Minime mirum id quidem! Senserat enim Terentius ab hominibus malivolis sibi obtrectari, sed ignorabat aut parum certo sciebat veterem poetam principem esse adversariorum, id quod postea demum cognovit. Praeterea magni momenti est hoc. Poetam primum prologum scribentem fugere non poterat prologum suum non talem esse, quales populus audire consuevisset. Monendi igitur erant ei, qui spectabant, ne argumentum fabulae aut titulum exspectarent. Et vero poeta dicit v. 26: „Dehinc ne exspectetis argumentum fabulae.“

Item de titulo tecte monet tribus illis versibus, quos ex Heaut. prologo in Adelph. prologum restituendos esse supra ostendi. Quod quo facilius perspicias, tituli initium pronuntiati iuxta versus prologi ponam:

Titulus	Prologus
(Agetur) Noua	Nouam esse ostendi
Adelphoe	et quae esset
Terenti	nunc qui scripserit
Graeca Menandru	Et quoia Graeca sit.

Hoc modo de titulo paulo ante pronuntiato admoniti spectatores non potuerunt non intellegere, cur nomina in prologo indicare non esse necesse poeta existimaret. — Hinc efficitur, ut Adelphon prologus primus ex prologis scriptus sit, fabula ipsa autem Adelphoe secunda loco acta sit.

Proximum est, ut de Eunucho quaeratur. Haec fabula, si recte supra de continuo ordine fabularum Hecyrae, Heautont., Phormionis disputavi, aut ante Hecyram, i. e. tertio loco, aut post Phormionem, i. e. sexto loco, acta est. Tertius locus

nullis, ni fallor, indiciis aut argumentis, quae quidem ex prologis eruantur, probari potest, sextum locum defendere studebo hac ratiocinatione:

Hecyrae prior prologus diversus a ceteris est; nam octo tantum versibus nihil aliud populo indicatur nisi poetam lucri causa Hecyram pro nova agi quam referri maluisse. Eia confidentiam illam poetae, qui non satis habuerit fabulam macula quadam aspersam iterum referre, sed iterum vendere pro nova ausus sit; qui blanda ad benevolentiam populi captandam verba fastidiverit, quin etiam conviciis (cf. v. 4 „populus stupidus") bilem populo commovere non sit veritus! Ex his omnibus poetam inaudito successu elatum cognoscas; nec iam in Hecyrae prologo offendas, si brevi ante Eunuchum actam esse concesseris, quam fabulam ingentem plausum populo movisse et meruisse pretium quantum nullam antea cuiusquam comoediam traditum est. Enimvero post tantum successum poeta potuit confidentius se gerere, potuit suo iure queri, quod populus funambulum ipsi praetulisset, potuit gestire iterum nummum in loculos demittere, potuit gloriose de se praedicare:

Alias cognostis eius: quaeso hanc noscite.

Restat ut de illa Andriae actione dicam, ad quam prologus pertinet. Hunc ante Heautontimorumenon scriptum esse ex eo apparere mihi videtur, quod in Andriae prologo vox contaminandi explanatur, at in Heaut. prologo ita commemoratur, ut poetam spectatores iam scire, quid illa vox significaret, confisum esse colligas, itemque illi boni, quos auctores se habere poeta profitetur, nominatim proferuntur in Andriae prologo, at in Heaut. prologo, quasi id non iam esset necesse, non nominantur. Quodsi de continuo ordine fabularum Hecyrae, Heaut., Phormionis ac de Adelphon prologo recte disserui, sequitur, ut Andria cum prologo inter Adelphos et Hecyram relata sit.

Ex prologis igitur eruisse mihi videor fabularum Terentianarum ordinem hunc:

I Andria (I) sine prologo
II Adelphoe
Andria (II) cum prologo
III Hecyra I sine prologo
IV Heautontimorumenos
V Phormio
VI Eunuchus
Hecyra (II)
Hecyra (III).

Vita.

Ernestus Herrmanowski a. d. XIV Kal. Aug. a. h. s. LVIII Saalfeldae, in oppidulo Borussiae Orientalis provinciae, natus sum patre Guilelmo matre Augusta e gente Karioth. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis domi imbutus anno h. s. LXVIII Elbingae, in quam urbem parentes migraverant, gymnasium, quod sub auspiciis Adolphi Benecke florebat, adii et usque ad tempus paschale anni h. s. LXXVII frequentavi. Quo tempore maturitatis academicae testimonium adeptus Berolinum me contuli, ut philologiae operam darem. Quare per octo semestria scholis interfui horum virorum doctissimorum: Curtius, Vahlen, Kirchhoff, Tobler, Scherer, Hübner, Mommsen, Zeller, Harms, von Treitschke. Tum Berolini examine pro facultate docendi sustento et instituendi tirocinio annuo in gymnasio Coloniensi peracto nunc in gymnasio Regiurbano munere docendi fungor.

Omnibus illis viris optime de me meritis summas gratias ago semperque habebo.

BEROLINI.
Typis Nauckianis.